Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-593628-p0001-7

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
III A 254
SIGNAT. cIↄIↄCCCXIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-593628-p0002-3

# TABVLÆ
## INVENTIONIS ET
## Diſpoſitionis in Opus Heſiodi
## Ἔργων καὶ ἡμερῶν:

A multis multum hactenus expetitæ;

*IAM VERO AD PVBLIcum diſcentium uſum editæ:*

Studio & Operâ

JOANNIS I. F. POSSELII,
Græcæ Linguæ in Academia Roſtochienſi Profeſſoris.



*Anno* M. DC. XV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-593628-p0003-8

## Ovid. Lib. 1. Eleg.

*Vivet & Ascraeus, dum muſtis*
*uva tumebit,*
*Dum cadet incurvâ falce reſecta*
*Ceres.*

# AMPLISSIMIS VIRIS, SAPIENTIA ET VIRTUTE PRÆSTANTISSImis, Conſulibus cæterisq́; Senatoribus Florentiſsimæ Reipub. Flensburgenſis, Dominis & amicis colendis,

S. P. D.

*PErluſtranti mihi nuper certis de cauſsis Bibliothecam meam, & chartas in ea paſsim jacentes & diſsipatas excutienti, inter varia variorum ſcripta, Tabulæ Inventionis & Diſpoſitionis in Heſiodi, Poetæut vetuſtiſsimi, ita & venuſtiſsimi, opus* ἔργων καὶ ἡμερῶν, *ſeſe mihi offerebant. Quas cùm legendo percurriſſem, viſus mihi quidem eſt labor iſte non inutiliter ſuſceptus, neq;*

 male

*malè poſitus. Poſtquam verò ipſum Poema in manus ſumtum cum tabulis contuli, legiq́; ac relegi accuratè, animadverti in iſtis & utilia & jucunda permulta, quorum χειρα-γωγία, φιλέλληνες ἐν μιᾷ συνόψει non ſolùm ἀνάλυσιν, ſed & ipſa præcepta χρυσοῦ χρυσότερα memoriâ comprehendere poſſent.*

*Re deinde cum viris & amicis clariſſimis, qui omnem ferè ætatem in literis & ſcholis conſumſerunt, communicata, hi cùm ſe iſtas tabulas nervoſas & eruditas nunquam & nuſquam vidiſſe affirmarent, autores mihi exſtiterunt, ut eas publici Juris facerem, imò rogârunt, adeòq́; me inflammarunt. Illorum ergò conſilio locum dandum duxi, ideoq́; editionem maturavi, quo & meis auditoribus, quibus HESIODUM debitâ fide & ſedulitate propoſui, & aliis gratificarer. Si vero oſori & roſori hoc meum diſplicuerit ſtudium, ei hoc Horatianum ego in aurem:*

--- Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non, his utere mecũ.

*At cui betæ ſapiunt, ego, ut ingenuè fatear, quod Alyatten facere jubebat olim Bias, cepas quoq́; edere jubeo.*

*Cur*

*Cur autem, Ampliſſimi Prudentiſſimiq́ Viri, has tabulas ſub veſtro Patrocinio emiſerim, graves & honeſtæ cauſſæ me impulerunt: Chara enim mihi fuit ab eo tempore, quo mihi antè paucos annos Gymnaſij veſtri Rectoratum demandaretis, civitas veſtra, cùm ob varias dotes, tùm ob Eccleſiæ & Reipublicæ* ὁμόνοιαν καὶ εὐταξίαν.

*Prætereà habui ex Conſulibus & Senatoribus, qui inſigni amore & benevolentiâ me proſequuti ſunt, ex quibus cùm aliquos adhuc ſuperſtites eſſe ſperem & exoptem, quin veterem erga me benevolentiam conſervent, nullus dubito.*

*Deniq́, cùm certò cognitum atq́ exploratum habeam, in optimo Gymnaſio veſtro adoleſcentes magnis ſumtibus, ſummaq́ curâ & diligentiâ*

*erudiri in vera pietate, ac litteris Latinis & Græcis, has tabulas Græcam Linguam diſcentibus utiles fore confido.*

*Ergò ut & abſens juventuti veſtræ prodeſſem, ſicut præſens veſtros Reverendi Miniſterij, civiumq́ filios, in Lingua Græca & Latina, & in optimis artibus (vobis ipſis honorificè atteſtantibus) inſtitui, has tabulas veſtræ quidem virtuti, ſplendori & meritis, illorum verò profectui conſecrandas eſſe duxi, earumq́ dedicationem æternum affectionis noſtræ erga vos & liberos veſtros* τεκμήριον *exſtare volui. Quod ut boni conſulatis, peto à vobis quàm officioſiſsimè.*

*Hiſce Divinæ protectioni Eccleſiam, Rempub. & Scholam veſtram precibus meis commendo. Roſtochij*

*25. Sept.*

*26. Sept. quo* NICOLAUS VALLA, *qui Heſiodū adoleſcens carmine Heroico Latino reddidit, Romæ, Anno 1473. ex hoc impuro lacrymabiliq́ corporis & mundi hoſpitio, ad cœleſtis patriæ jucundiſsimam beatiſsimamq́ ſedem eſt evocatus & traductus. Anni verò currentis 1600.*

Amplitud. V. addictiſs.

JOANNES I. F. POSSELIUS
Græcæ Linguæ in Academia patria Profeſſor & Facultatis Philoſophicæ Decanus.

# TABVLAE INVENTIONIS ET DISPOſitionis in Opus Heſiodi, Ἔργων καὶ Ἡμερῶν.

HESIODI Opus τῶν ἔργων καὶ ἡμερῶν dividitur in

- Proœmium, quo præparat auditorem & proponit.
- Tractationem. Eſt autē adhortatio ad actionem virtutis, quam facit duplicem:
  - Quotidianam, explicatam primo libro, ubi hortatur ad
    - Iuſtitiam, atque exornat
      - Μεϱισμῷ contentionum.
      - Fabulâ de Prometheo & Pandora.
      - Chronologiâ mundi.
      - Fabulâ de Accipitre & Luſcinia.
      - Apoſtrophis tribus:
        - Primâ ad fratrem.
        - Secundâ ad judices.
        - Tertiâ ad fratrē rurſus.
    - Laborem, idq; amplificat per
      - Μετάβασιν.
      - Confirmationem.
      - Confutationem.
    - Alia officia ſpectantia partim ad
      - θεοσέβειαν.
      - ἀγάπην.
  - Accommodatam ad certa tempora. Hanc explicat libro
    - Secundo, quo informat patremfamiliâs, ut:
      - Tradita duplicē modū acquiſitionis:
        - χρηματιστικὴν.
          - Agriculturam.
          - Navigationem.
      - Maritū, cui certo tēpore uxorē deſtinat, eique præſcribit faciēda fugiendave.
    - Tertio, quo facit diſcrimen dierum, alios vocans utiles obſervatu, alios medios.

In Procemio præparat auditorē & proponit, idq; exornat invocatione

- Vna Muſarum, quâ captat auctor:
  - 1. Benevolentiam: idq; ea rebus ipſis ſeu officio. Muſarum hoc eſt munus: (Nomine autem Muſarum ipſum Poetam intelligo) ut præcipiant & celebrent digna præceptione & celebratione.
  - 2. Docilitatē: quia dicit, ſe dicturum de felicitate & infelicitate hominum: idq; utrumq; à Deo oritur, quo auctore quidam ſunt:
    - Felices, φατοὶ ϗ ῥητοὶ, ſcilicet, qui faciunt officia ſuæ vocationis.
    - Infelices, ἄφατοὶ, hoc eſt, ſuperbientes, vel propter
      - Opulentiam.
      - Succeſſum rerum ſuarum.
      - Dotes ingenij.
- Altera Iovis, quâ captat:
  - 1. Attentionem: Nam inquit, ſe dicturum de argumento admodum ſerio, gravi, & explicatu difficili: cujus explicatio non ſit qualiscunque ingenij, ſed ejus, quod divinitus regatur.
  - 2. Docilitatem & Attentionem, dum ait, ſe ἐτήτυμα ſcripturum ad Perſam. Perſes enim cum Heſiodo fratre de diviſione patrimonij certans, eidem multa eripuerat, adjudicatione judicum, muneribus à ſe corruptorum. Adhortatur itaq; in hoc ſcripto & fratrem & judices: hos ad juſtitiæ adminiſtrationem: illum verò ad acquiſitionem victûs per laborem.

Præceptū de Iuſti- tiæ cultu, quod eſt primum in lib. 1. exornatur

- Μεριςμῷ contentionū, hoc eſt, rationum acquirendi victū. Eſt enim duplex.
  - Laudanda, quæ conſiſtit in labore, & Aemulatio appellatur. In huius ὁρισμῷ explicat duo:
    - 1. Ortum. Eſt orta ex nocte: per hanc ſignificat occultā imitationem, vide μυθολογίαν. Præterea à Iove mentibus hominū inſita eſt.
    - 2. Effectus per μεριςμὸν, facit, ut fiat induſtriꝰ is, qui erat ignavus, ut:
      - Agricola.
      - Vicinus.
      - Figulus.
      - Faber.
      - Mendicꝰ.
      - Cantor.
  - Vituperāda, quæ fit vi & fraude: Eſtque Invidiæ propria & Injuſtitiæ. Hanc
    - Vituperat à duobus:
      - 1. Effectu: quia gignit diſcordiā, ex qua mala omnia.
      - 2. Ortu, quia dicit, eſſe pœnā Dei, quam luunt homines propter defectionem à Deo. Hæc enim eſt vera cauſſa peccati, id eſt, cœcitas mentium humanarum.
    - Diſſuadet à
      - Difficili. Res tuæ non ferunt, ut te convertas ad fori otium. Es enim pauper, cui nō licet diu litigare.
      - Inutili. Non amplius tibi cōcedetur, ut injuſtè mecum agas, veluti feciſti anteà.
- Duplici fabula, cui interponitur chronologia mundi: cum tribus Apoſtrophis.

**Secundũ ornamẽtum præcepti de cultu juſtitiæ dividitur in**

- **Σχετλιασμόν.** Vituperat judices, qui excœcati muneribus, injuſte judicaverant: idq; exornat μεταστάσει, quia ignorent utilitatem:
  1. Iuſtitiæ, quæ longè eſt potior, quàm Injuſtitia, idq; dicit παροιμιακῶς.
  2. Frugalitatis, quæ ſplendori & luxui eſt præferenda: idque itidem dicit παροιμιακῶς.
- **αἰτιολογίαν.** Dicit enim quæ ſit cauſſa, cur ignoretur utilitas victus & rectæ parti & frugalis: nimirum voluntas Dei punientis homines hac cæcitate propter peccatum defectionis à Deo. Eadẽ eſt cauſſa aliarum miſeriarum in genere humano. Hoc ipſum declarat fabulâ de duobus fratribus & Pandora, quâ alludit ad lapſum primorum parentũ in ſacris literis traditum. Porrò in fabula dicit:
  1. Promethea ignem furatũ eſſe cœlitus.
  2. Pandoram, juſſu Iovis irati factam & ornatam à
     - Mercurio, mendacijs, impudentia, & fraudibus.
     - Venere, venuſtate deſiderio, & curis.
     - Pallade, artificio texendi telam.
     - Vulcano, facie virgineâ.
     - Gratijs & Suadâ, monilibus aureis.
     - Horis, corollâ è vernis floribus.
  3. Miſſam cum pixide Pandoram ad Epimetheum, & acceptam ab eo.
  4. Poſt acceptam Pandoram & apertam Pixidem ſecuta eſſe omnia mala: ſpem verò remanſiſſe.

Tertium

Tertium ornamentum dividitur in

- μετάβασιν. Tranſit enim ad alium ſermonem, quo idem exponit ſed dilucidiꝰ: cur ſcilicet tanta ſit cœcitas & miſeria hominū. Huic autem præmittit captationem
  - Benevolentiæ à perſona Perſæ, ſi, inquit, placet, &c.
  - Docilitatis dum ait:
    - ἐκκορυφώσω, id eſt, particulatim integram, non tamen prolixam narrationem inſtitutam.
    - εὖ. Benè, diligenter, accuratè.
    - ἐπισταμένως, id eſt, eruditè, prudenter.
  - Attentionis, dum ait: σὺ δ᾽ ἐνὶ φρεσὶ, &c.
- αἰτιολογίαν, &c. Vide ſignum A.

- **A.** αἰτιολογίαν. Cauſſa autem eſt varia conditio ætatum mundi. Facit igitur diviſionem illarum ſecundum pretia metallorum exceptâ quartâ, in
  - Auream, quam facit antiquiſſimã ſub Saturno: In hac erat felix hominum
    - Vita, quia ἀπαθεῖς
      - Non vexabantur curis.
      - Erant ſine laboribus.
      - Non conſeneſcebant.
    - Mors, quia fuit ἀβίαστος: moriebantur enim ut obdormiſcentes.
    - Translatio poſt mortem in numerum Deorum.
  - Argenteam: hujus hominibus tribuit
    - Stoliditatem & Injuſtitiam.
    - Imbecillitatem & vitæ brevitatem.
    - ἀποθέωσιν, in Deos ſubterraneos.
  - Aeneam: huic tribuit
    - Animum Martium, à pace & agricultura alienum.
    - Corpus & robuſtum & deforme.
    - Mortem violentam ex bellis.
  - Heroicam: hanc deſcribit à
    - Bellis, quæ geſſerunt, Thebano & Trojano.
    - Præmijs, poſt mortem translati ſunt in fortunatas Inſulas.
  - Ferream: huic tribuit vitam & mortem aureæ ætati contraria: & mores legibus naturæ repugnantes: idq; per διάλυσιν exponit.

Quar-

Μεϑάβασιν. Tranſit enim ad alium ſermonem: idq; exornat ἀποστροφῇ ad judices, cum captatione benevolentiæ à perſona judicum.

Quartum ornamentum dividitur in

- Proſopopœia accipitris, cui attribuit ſermonem convenientem & actiones, dum ait, ab eo luſciniam unguibus apprehenſam, & ſurſum abreptam.
- ἠθοποιΐα luſciniæ lugentis ſortem ſuam, & liberationem petentis.
- σχετλιασμὸς, dum inquit: δαιμονίη τί λέλακας; Stulta & importuna quid vociferatis?
- παθοποιΐα, exprimens tyrannicum & malevolum affectum accipitris. Quantumvis, inquit, juſta ſis & ingenioſa, nec non æqua poſtules: tamen penes me eſt jus de te ſtatuendi, quicquid velim.

Fabulam de Accipitre & Luſcinia. Huj9 partes ſunt:

- γνώμη, quæ dehortatur à contentione cum ſuperioribus, ab inutili
  - Privativo: quia inferior contendens, victoriâ non potietur.
  - Poſitivo: quia contumeliam inde auferet.
- Proſopographia accipitris continens αἰτιολογίαν orationis.

Sequun-

Sequūtur tres Apoſtrophæ, quarum prima ad fratrem dirigitur, quem

- Dehortatur ab Injuſtitia, idq; confirmat ab inutili, quia nocet:
  - Privatim: tàm miſer, quàm fortunatꝰ experitur tandem ſe opprimi.
  - Publicè, idq; exornat per gradationē.
- Adhortatur ad Iuſtitiam idq; exornat Antitheſi:
  - Iuſtitiæ, quam laudat ab utili per μερισμὸν, quia ex ea oriuntur
    - Forma Reipub. benè conſtituta, id quod declarari poteſt per omnes ſpecies juſtitiæ.
    - Pax, ex qua recta inſtitutio juventutis.
    - Defenſio Dei, ne cives infeſtētur
      - Bello ab extraneis: quia neq; hoc, neq; Deum offendunt.
      - Caritate annonę: quia & ipſi ſunt providi, & Deum habent propitiū.
    - Bona conſcientia, unde in feſtivitatibus fiunt hilariter.
    - Annonæ ubertas, quam exornat per μερισμὸν.
    - Fœcunditas liberorum ſimilium parentibus.
    - Abundantia fructuum, & bonorū omniū, ut nō neceſſe ſit trans maria navigare.
  - Injuſtitiæ, quā vituperat: quia eam ſequitur pœna Dei
    - Immediatè, ut fames peſtis, ſterilitas, ſeu familiariū interitus.
    - Mediatè, ut bellum, cujus nocumēta exponit per μερισμὸν.

Reliquæ duæ Apoſtrophæ:

- Secunda ad judices, id eſt gubernatores, quos hortatur ad juſtitiæ curã, Sylogiſmis:
  - Categoricis à genere:
    - 1. Omne malum, quod Deus videt, eſt fugiendũ. Omnem injuſtitiæ violationem Deus videt. Ergò eſt fugienda. Confirmatio minoris duplex:
      - 1. Quia habet multas myriades Angelorum, qui obverſantur in genere humano, & obſervant hominum facta.
      - 2. Quia ipſa Iuſtitia obambulat, obſervans hominum opera, eaq; perferens ad Iovem, ut poſtea de ijs ſtatuat ſuo arbitrio.
    - 2. Mala conſilia, quæ Deus videt, in caput auctoris recidunt. Sed Deus videt veſtra conſilia in hac civitate Ergò in capita veſtra recident, ſi mala fuerint, id eſt, ſi injuſtè judicaveritis.
  - Hypothetica: Si injuſti nun punirentur divinitus, hoc eſſet futurum contra juſtitiam Dei: & effecturum, ut neq; ego, neq; meus filius, aut ullus alius pjus & juſtus porrò vellet eſſe talis. Sed immutabilis eſt iuſtitia Dei. Ergò injuſti puniuntur divinitus. Omiſſa autem eſt talis argumentatio: Omne quod punitur, eſt fugiendum. Injuſtitia punitur. Ergò eſt fudienda.
- Tertia ad fratrem rurſus hunc adhortatur ad juſtitiam ab
  - Honeſto: Tu es homo, non beſtia. Deus autem hominem condidit ad cultum juſtitiæ. Animalia reliqua graſſantur inter ſe, ut piſces, feræ, volucres.
  - Vtili, idq; exornat ἀντιθέσει affectuũ:
    - Iuſtitiæ & fidei, quam ſequitur affluentia omnium bonorum, etiam ad poſteros.
    - Injuſtitiæ & perjurij, quæ ſequitur vindicta Dei punientis, & mox futuris malis, & tandem duraturis per omnem poſteritatem.

Secundum præceptũ eſt de laborando. Dividitur autem in

- μετάβασιν in qua præparat fratrem, faciens eum
  - Benevolum, à perſona ipſius & officio ſuo. Tu, ait, non intelligis ea, quæ ſunt tibi facienda: ideò ego, ut frater tuus tibi debeo, & pio utilia præcipere.
  - Attentum:
    - Quia innuit de re gravi & neceſſaria ſe eſſe dicturũ: id quod exornat topotheſia:
      - Virtutis. Hanc, ait, tali loco eſſe poſitam, ut inter eam & ipſum ſit ſudor collocatus, & via difficilis.
      - Vitiorum. Quæ, ait, loco ipſo proximo eſſe poſita, & viam ad ea facilem.
    - Quiâ rogat, ut ſe attentè audiat, præmiâ ratione tali: Qui ipſe nõ intelligit, debet aliorum conſiliis uti. Tu autem non intelligis quid tibi ſit faciendum. Ergò, &c. Majorem explicat per μεταφορὰν hominum.
- Confirmationem, vide ſignum B.
- Confutationem, vide ſignum C.

B. Confirmationem ab utili. Labor erit utilis, &c. Et
- Tibitidq; exornat antitheſi effectuum:
  - Laborum
    - Privativorũ: Effugies enim
      - Paupertatem.
      - Odium Deorum & hominum.
    - Poſitivorum: Comparabis
      - Divitias.
      - Amoré Deorum & hominum.
  - Ignaviæ
    - Fames.
    - Odium Deorum & hominum.
- Aliis: quia tuo exemplo alij, cùm viderint te divitem factum, laborare incipient.

C. Confutationem ſeu πρόληψιν duplicem:
- Vnam de paupertate: Fingit enim eum objicere. Pauperes non poſſunt ſibi proſpicere labore ſuo. Imò, inquit, labor vnicuique & ſemper conducit, cujuſcunq; ſit conditionis.
- Alteram de pudore, ſed pudet te laborare, Imo, inquit, pudor eſt vitioſus, idq; exornat μειωμῷ pudoris, quem facit duplicem:
  - Bonũ quia liberalia ingenia averſantur turpitudinem, metu dedecoris & juſtę reprehenſionis.
  - Malum, &c. vide ſignum D.

Malum

D. Malum, qui eſt laboris & induſtriæ, huic opponit audaciam. Sed & hæc alia eſt:

- Iuſta & honeſta, cùm opes adquiruntur licitis rationibus. Hanc probat, & pudori malo opponit.
- Injuſta & callida, cũ rés acquiruntur invitis dominis: Hanc
  - Amplificat ἀνθυποφορᾷ, in qua ſunt:
    - μειωμὸς injuriarum: Nam quædam fiunt vi, quædam fraudibus & mendaciis.
    - Aetiologia injuſtæ acquiſitionis, quæ fit vel ex avaritia, vel imprudentia.
    - Congeries hominum injuriâ affectorum, ut ſunt ſupplices, hoſpites, fratres, pupilli, parentes ſenio confecti.
  - Vituperat & dehortatur ab ea ab inutili: Quia iram Dei concitat & vindictam. Malè parta, malè dilabuntur: honeſtè autem parta, durans apud heredes.

Tertiò adhortatur ad officia in omnibus vitæ partibus. Horũ alia ſpectant

- θεοσέβειαν, id eſt, Dei cultũ. Hoc autem
  - Amplificat
    - Dialyſi: Deus eſt colendus ἁγνῶς quod ad animum: καθαρῶς, quod ad corpus.
    - ἱερεισμῷ: colitur n. Deus aut
      - Crematione fœmorum.
      - Libationibus.
      - Suffitibus.
    - Dialyſi alterâ, cum mane, tum veſperi.
  - Confirmat ab utili: Habebis.
    - Deum propitium.
    - Proſperum ſucceſſum conatuum & laborum.
- ἀγάπην, quæ complectitur
  - εὐεργεσίαν. Monet n. ut ſibi cõciliet benevolentiam aliorũ; idq; per διάλυσιν. Cõciliatur enim, aut
    - Conviviis, vide ſignum E.
    - Reſtituendo commodato, eadem aut etiam majore menſurâ.
    - Iuſtitiæ cultu, non captando injuſtum lucrum.
    - Amore mutuo, & familiaris vitæ conſuetudine.
    - Liberalitate exercendâ erga liberales: idque exornat per antitheſin: deinde per αἰτιολογίαν ab exemplo hominum.
    - Accipiendo ab aliis volentibus & non invitis, id eſt, contra ipſorum voluntatem.
  - φιλοπονίαν, &c. vide ſignum F.
  - Fidem, &c. vide ſignum G.
  - Sedulitatem, vide ſignum H.

E. Conviviis. Hîc rurſus facit διάλυσιν hominum. Qui enim invitantur aut ſunt

In genere, quicunq; ſciunt & ſolent amare. Addit poſtea ἀντίθεσιν: inimicos eſſe omittendos.

In ſpecie vicini. Hos inprimis monet côciliare: idq; amplificat αἰτιολογίᾳ duplici:

Vnâ per collationem vicinorum & propinquorum.

Alterâ ſimpliciter: quia vicini poſſunt & prodeſſe & obeſſe plurimum, idq; exornat dialyſi rurſus. Obſtant enim aut proſunt, tum ad

Famam, defendendam

Alia incommoda prohibenda idq; dici παροιμιακῶς.

F. φιλοπονίαν, Monet n. ut exiguum addat exiguo: idque

Confirmat ab utili per congeriem:

Efficies magnum cumulũ.

Evitabis famem, quam ἐμφατικῶς αἴθοπα vocat.

Amplificat περιλήψει. Dixerit enim frater: nolo onerare meam domũ copioſâ ſupellectile. Huic reſpondet

Antitheſi: Bonum eſt habere domi: Moleſta res eſſe extra domum.

Aetiologia: Iucundum eſt de præſentibus accipere: Moleſtum, non habere res in promtu.

G. Fidem non facile habendam, tum

In conventionibus ſive agatur cum

Mercenario quovis, cui vult primum deſtinari certam mercedem, antequam laboraret, eandemque poſtea ſolvi fideliter.

Fratre, cum quo etiam cautè & fide interpoſita, ſed ea jocularia jubet agendum eſſe: idque confirmat ab utili per contrarium. Multa ſunt exempla, cum & credulitas & diffidentia obfuerunt plurimum.

Muliebribus blanditiis: idque confirmat ab incommodo per ſimilitudinem exornato.

H. Sedulitatem, quæ complectitur

Curam conſervationis familiæ per filios, vel unum, vel duos, vel plures: idque exornat ætiologiis.

Aſſiduitatem laborum ad acquiſitionem divitiarum neceſſariarum.

## LIBRI I. FINIS.

In II. lib. explicat primum modum acquiſitionis, quæ fit per agriculturã. Hęc pars dividitur in pręceptum de

- Meſſe & aratione. Hîc
  - Primum hortatur, ut
    - Metat in Junio.
    - Aret in Octobri aut Novembri.
  - Deinde confirmat ab
    - Utili: idque exornat congerie effectuũ contrariorũ:
      - Tempeſtivę exſecutionis laborum. Maturus & fœlix proventus ſingulorum.
      - Negligentia: Malus proventus, ex quo ſequuntur per gradationem egeſtas, mendicitas, contemtus, æs alienum.
    - Honeſto: Nam Deus hos labores præſcripſit homini: eoſque vult tempeſtivè fieri.
- Adminiculis neceſſariis ad rem familiarem cõparandã. Hîc in
  - Genere:
    - Primũ hortatur ut ſibi cõparet,
      - Receptaculum, ſcilicet domũ: per hanc verò intelligitur & locus in ſocietate civili, & genus vitæ.
      - Inſtrumenta tum
        - Animata, ut:
          - Bovẽ idoneũ ad arandum per hunc & artem intelligimus.
          - Ancillam idoneam, quæ non habeat virum, intelligimus & ſervum.
        - Inanimata, ut ſunt cætera omnia, quæ vult aptè eſſe diſpoſita.
    - Deinde confirmat ab utili privativo: non opus erit te petere commodatò. Petitionem ſequitur negatio, privatio, procraſtinatio, egeſtas.
  - Specie: vide ſignum I.
- Operibus expediendis ſingulis ſuo tempore per totum annũ. Docet itaq; primum, &c. vide ſignum K.

I. In ſpecie inſtrumenta explicat, quorum alia ſunt:

- Inanimata, ut ſunt lignea. Hîc explicat
  - Quando coaptari debeant, nempe in autumno, quo probat ſectionem lignorum propter ſiccitatem.
  - Præcipua genera, & longitudinem eorundem. Sunt autem novem:
    - Mortarium trium pedum.
    - Piſtillum trium cubitorum.
    - Axis pedũ ſeptem, & malleus.
    - Apſis trium palmorum.
    - Dentale quod ſit iligneum.
    - Aratra duo:
      - αὐτόγυον, quod ſit ſolidum, & habeat dentale adnatum.
      - πηκτὸν, compactum, & ex omni parte perfectum.
    - Temo ex lauro & ulmo.
    - Buris ex quercu.
- Animata, ut:
  - Boves duos, hîc
    - Primùm laudat, quod ad
      - Aetatem, eos, qui ſint annorum novem, vel qui habeant ætatis modum.
      - Sexum, eos, qui ſunt maſculi, non caſtrati.
    - Deinde confirmat ab utili
      - Poſitivo: quia tales ſunt validi atq; idonei ad laborandum.
      - Privativo: quia non amplius laſciviendo frangant aratrum.
  - Servus, hic
    - Primum laudat, quod ad
      - Aetatem, eum, qui ſit quadraginta annorum.
      - Robur, cui ob vires opus ſit pane, cujus quadrantes octonis bolis conſtent.
    - Deinde confirmat ab utili per antitheſin ſenioris & junioris: Ille attentus eſt ad opus: Hic non item.

Docet

K. Docet primū, quid ſit faciendū autumno: Hic arationem aliam facit

- Tempeſtivam, quæ ſit autumno: itaque
  - Primū præcipit, quid ſit faciendum
    - Ante arationem: Habenda inſtrumenta in promtu, idque exornat περιλήψει;
      - Vna de cōmodatione.
      - Altera de curtus præparatione.
    - In ipſa aratione:
      - 1 Surgat cū famulis mane, & aret terram qualemcunq;, Optimam autem eſſe
        - Quę vere eſt leviter arata, ejusq; aratio æſtate renovata.
        - Cui conceſſum eſt intervallū, nec ſingulis annis exculta.
      - 2. Invocet Iovem & Cererē.
    - 3. Ligone comminuantur glebæ, & ſemen cooperiatur poſt arationem
  - Deinde confirmat ab utili: In
    - Genere, per antitheſin ordinatæ & inordinatæ exſecutionis laborum.
    - Specie, per congeriē commodorum Deo benè faventе ſperandorum.
- Intempeſtivam, quam facit duplicem:
  - Brumalem, quam diſſuadet: idq; confirmat
    - Ab utili enumeratione incōmodorum per congeriem: ut ſunt, infelix proventus, mœror animi, labor corporis. ἀγχοιρεχακία.
    - Confutatione objectionis de eventu interdum fælici terræ arationis.
  - Vernam, quam non improbat, ſi prævideat futuram aeris conſtitutionē: ut ſcilicet vere pluvia ſit duratura per triduū, & ita lenis, ut non humefaciat ſolum ſupra bovis ungulā, neq; infra eam conſiſtat, quod rarò evenit.

Secundò docet, quid ſit faciendũ aliis temporibus. In

Genere, ut:

Hyeme ubi

Primum prohibet otium, ſuadet labores.

Deinde confirmat ab utili

Poſitivo: hyeme quoque induſtrius poteſt locupletare rem ſuam familiarem.

Privativo duplici:

- Vt effugias hyemis incommoditatem, unde multa mala.
- Vt effugias ignaviam, ex qua itidem multa mala: idq; explicat per congeriem.

Aeſtate: hic rurſus

- Suadet, ut ſit ſollicitus eo tempore in hyememem, & ſuos domeſticos moneat de labilitate temporis.
- Confirmat à dfficultate temporum ſuccedentium.

Specie, ut:

Hyeme, ubi

Primum monet de

- Amictu, ut ſeſe muniat pallio, tunicâ, calceis, pellibus hœdorum, pileo.
- Victu uſurpando
  - Bobus, quibus dimidiam partẽ pabuli ſubtrahit.
  - Hominibus, quibus plus de convenienti cibo addit.

Deinde confirmat id quod dixit de

- Amictu à neceſſario, ob frigidam & pluviã conſtitutionem hujus temporis.
- Victu ibidem à neceſſario, ob noctes longiores, quibus & ipſis non quieſcunt homines ab omni labore, & ventriculi ſunt calidiores.

Vere, AEſtate, Autumno, &c. vide ſignum L.

L. 
- Vere, quo primùm ineunte ante reditum hirundinem jubet vites amputare.
- Aeſtate, tū
  - Prima, hic
    - Primùm monet, ut metat: idq̀ue exornat congerie eorum, quę meſſem antecedunt, ut ſunt: falces acuere, ſervos excitare, fugere quietem, umbram, & ſomnum.
    - Deinde cō-firmat ab
      - Utili, ne egeat hyęme, & reliquis anni partibus.
      - Facili, quantum ad auroram. Hæc enim opus promovet.
  - Media à ſolſtitio circa Auguſtum. Hîc adhortatur ad
    - Diætam certam obſervandam, & ut genio indulgeat.
    - Trituratio-nē per ſervos: & præſcribit
      - Locū illius in perflatili area & exæquata.
      - Sepoſitionem trituratorum in ſua repoſitoria cum menſura.
  - Extrema, hic precipit, de
    - Conducendis,
      - Mercenario, qui nō habeat domum aut familiam.
      - Ancilla, quæ nullos habeat liberos.
    - Alendo cane idoneo: idq; confirmat ab utili: ut fur prohibeatur.
    - Importando fœno, aliiſque id genus, pro bobus & mulis contra difficultatem hyemis.
    - Danda quiete ſervis & jumentis.
- Autumno,
  - Tum Primo, quo jubet fieri vindemiam.
  - Tum Secundo, quo, ut ante dictum, arationem præcipit.

Secundus

Secundus modus acquiſitionis eſt negotiatio trans mare. Hanc facit duplicem:

- Inuſitatã, quæ fit autumno. Hîc
  - Primùm eum dehortatur, ne tum naviget, ſed potius navem retrahat in cõtinentẽ, aliaq; hujus inſtrumẽta ſeponat.
  - Deinde confirmat ab inutili: quia tum ſunt vehementes, & violenti variorum ventorum flatus.
- Vſitatam, eamq; tum
  - Tutam (ſi Deus voluerit) de qua dicit in
    - Genere: nam eam
      - Laudat, monetque onus navi imponendum conveniens & venale.
      - Confirmat ab honeſto. Pater enim ſuus quoque eâ eſt uſus.
    - Specie: hîc præcepta explicaturꝰ:
      - Primùm benevolentiam captat à perſona.
        - Fratris: quia vis aut cogeris uti navigio.
        - Sua: quia dicit ſe ex afflatu Muſarum dicturũ.
      - Deinde hortatur, ut naviget poſt ſolſtitium, idque confirmat ab inutili.
      - Tertiò, dehortatur à mora uſq; ad vindemiam, idque confirmat ab inutili
  - Periculoſam, quæ fit vere. Hîc
    - Primũ eam improbat, idque à
      - Difficili: vix attinges portum.
      - Inutili: peribis.
      - Injucundo: horrendũ eſt perire.
    - Deinde monet, ne omnia, neque nimis multa imponat, idque ab
      - Injucundo: horrendũ eſt in mari periclitari: idq; exornat à pari.
      - Inutili, per contrariũ in genere modꝰ eſt optimus in reb. omnib.

Alter

Sui, ut ſit annorum circiter triginta, ita ut neq; junior multum, neq; ſenior ſit: idq; confirmat à genere; quia eſt tempeſtivum.

Alter locus lib. 2. eſt de conjugio. Vbi monet patrēfam. ut ducat uxorem, & habeat rationem tū

- Vxoris ducendæ, hic
  - Primùm monet commodam eſſe eligendam, quæ ſit
    - In genere annorum circiter 15. vel ad minimum virgo; idq; exornat à tractabilitate.
    - In ſpecie, deſumpta ex vicinia, cujus non tam ætas & virginitas, quàm mores non poſſunt non eſſe bene perſpecti.
  - Deinde confirmat ab utili:
    - Negato: ut effugias ἐπιχαιρεκακίαν vicinorum. Poteſt hic locus à turpi etiam appellari: Nam turpe eſt inimicis præbere occaſionem nobis inſultandi.
    - Poſito, idq; exornat antitheſi uxoris
      - Bonæ, quâ nihil eſt melius & optatius.
      - Malæ. quæ maritū facit mœſtum, extenuatum & ſenem.

Tertiò

Tertiò informat patremfam. ut civem, cui præſcribit officiũ, tùm

- Affirmatum, quod ad
  - Deum: huic monet præſtandam eſſe reverentiam, obſervantiam, timorem.
  - Homines, cum quibus præcipit amicam converſationem. Facit autẽ gradus hominum, & ait cum aliis contrahendã amicitiam
    - Arctiſſimam, qualis ut plurimũ eſt cum unico, eoq; vel
      - Fratre, cui nullum amicorũ vult anteponi:
      - Alio quovis benevolentiã fraternã eum complectente. Hunc vetat mutari culpa vel noſtra, vel illius, ſi reſipiſcat.
    - Non arctiſſimam, ut quoſdã colat ratione
      - Hoſpitij: Hoſpites ſint neq; multi, neq; nulli.
      - Sodalitatis. Hic monet bonos eſſe eligendos, non contumelioſè aſpernandos, quamvis pauperes: quia paupertas à Deo immiſſa eſt: & quia linguæ bonæ hoc eſt officium, ut alios juvet, non lædat, idq; exornat antitheſi malæ linguæ.
- Negatum: Hic longa ſerie prohibet irreverentiam circa cultum Dei, obſcœnitatem in meiendo, incontinentiam, irreverentiam in tranſitu fluminum, illiberalitatem in conviviis, negligentiam in ędificando, inhoneſtatem circa ollas, mollitiem in educatione puerorum, inverecundiam in balneo, impietatem in carpenda religione, irreverentiam in meiendo circa neitus & oſtia fluminum; denique omne dedecus, unde mala fama.

III. Liber

III. Liber facit diviſionem dierum, qui ſunt eum

- Vtiles obſervatu, ſcil. μηνὸς tum
  - ἱσταμένου ſive αὐξαμένου:
    - πρώτη, feriæ,
    - τετάρτη, feriæ, careas curis: ducito uxorem, caduſq; retinendus.
    - πέμπτη infauſta.
    - ἕκτη, puella ne generetur, ſed mas, caſtretur hœdi & agni, fiat ſeptum, nugæ.
    - ἑβδόμη, ſacra dies.
    - ὀγδόη, fac opus, innoxia dies, bona plantatio, & generatio ſobolis.
    - δεκάτη, maſculum gignito.
  - μεσοῦντος ſive ἐπὶ δέκα:
    - πρώτη, fac meſſem.
    - δευτέρα, tonde oves, ordire telam, mulos caſtra.
    - τρίτη, ne ſeminato, inſere arbores.
    - τετάρτη, fœmellæ generatio, cicuratio ovium, boum.
    - πέμπτη, infauſta canum & multorum, navium fabricatio, dies auſpicatiſsima.
    - ἕκτη, ne planta, mas non fœmellæ generatio, cave nuptias.
    - ἑβδόμη verte & vētila fruges, ſeca materiē.
    - ἐννάτη, poſt meridiem melior.
  - εἰκὰς, εἰκοσὴ, generat, ingenioſæ ſobolis.
  - φθίνοντος ſive ἐπὶ εἰκάδι:
    - ἑβδόμη, τετάρτη cave à curis.
    - πέμπτη, ἕκτη, infauſta.
    - δευτέρα, ἐννάτη, aperi dolia, boves, mulos equo ſubjuga, naves deduc in mare.
    - τριακὰς ἔνη καὶ νέα νουμηνία, opera inſpicienda, demenſum familiæ dividendū.
- μετάδουποι: Promiſcui & medij, qui in neutrum vim habent ſingularem. Sunt autem omnes reliqui in priori catalogi prætermiſsi.

FINIS.

A.

Anima. p. 11. 15. 39.
Ætas. 39.
Aurora. 45
Amicus. 53.

B.

Bonum magnum. p. 3.
Bonus. 23.

C.

Civitas. 19.
Consilium. 21. 25.
Convivium. 27. 59.
Credulitas. 29.
Cras. 31.
Cura. 33.
Carmen. 49.

D.

Domum instituere. p. 3. 55.
Donatio. p. 27.
Domum ire. p. 51.

E.

F.

Figulus. 3.
Fama. 57.
Furiæ. p. 61.

G.

Gratum esse. 51.

H

Hospes. p. 15. 53.
hyems. 39. 41.

I

Impius. 15.
Justitia. 15. 17. 21.
Irare. 15. 21.
Imprudens. 17.
~~[illegible]~~ Injustitia. 21.
Justg. 23.
Industria. 37.
Ignavia. 37.

L.

Labor. 23. 25.
Lucrum malum. 27.
Linguae parcae [illegible] 53.
Laudo. 63

M.

Mendicg. p. 3.
Malum. p. 5. 7. 9. 25.
Mendacium. p. 7.
Mang. p. 11.
Mors. p. 13.
Mensura. 27.
Mulier. 29.
Molestis. 31.
Mane. 35.
Miser. 51.
Mediocritas. 51.
Mulier. 53.
Mensis. 61.
Mater. 61.

N.

Nubes. 43.

O.

Oculus. 21.
Opinio. 23. 33.
Opes. 25. 29.
Operam dare. 29.

P.

Pandora. p. 7.
Pater. 15. 25.
Pudor. 15. 25.
Peccatum. 27.
Parsimonia. 29.
Panis. 35.
Pecunia. 51.
Poena. 57.
Pomeridiana. 61.

Q.

R.

S.

Stultus. p. 3. 17.
Sacrificare. 11.
Sacra. 27.
Stultitia. 51.

T.

Tempus. p. 31.
Terra. 43.
Taberna. 45.
Tempestiva. 49.

U.

Vicinus. 3. 27. 27.
Vis. pag. 21.
Vir malus. 19. 23. 31. 33. 39.
Virtus. 23.
Via. 23.
Virgo. 53.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-593628-p0038-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-593628-p0039-2

ULB Halle 3
007 375 336

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-593628-p0041-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-593628-p0042-5

# TABVLÆ
## INVENTIONIS ET
*Diſpoſitionis in Opus Heſiodi*
Ἔργων καὶ ἡμερῶν:
A multis multum hactenus expetitæ;
*IAM VERO AD PVBLI-*
*cum diſcentium uſum editæ:*
Studio & Operâ
JOANNIS I. F. POSSELII,
Græcæ Linguæ in Academia Roſtochi-
enſi Profeſſoris.



*Anno M. DC. XV.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-593628-p0043-1